



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

Parisiis, 1644

Epistola XLVIII. Ioannis Papae VIII. Ad Ioannem, Anspervm Et VVaipertvm
Archiepiscopos. Eiusdem argumenti.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15967

rabile monasterium Nonantulæ situm , quod pro Dei, tantique loci reuerentia , nullus vnquam episcoporum , vel iudicum in beneficium quæsivit, timorem diuinum paruipendendo , contra sacras præcessorum nostrorum, nostriue priuilegii institutiones, quibus de propria semper congregatione abbatem fieri iubetur , callide petiſſe , ac per hoc illicita præsumpsisse , omnimodis reperiſſemus; auctoritate apostolica eum excommunicare stu-
duimus; * vt eaque ipse tenere canonice eum correptio- * Deceit ali-
nibus, prout nobis auctoritas apostolica suffragatur, pro- quid.
cul dubio arguemus, vt digno verbere castigatus, & cano-
nico nexu ligatus obedientiam discat seruare , qui absolu-
tus ecclesiasticis , atque canonice noluit obedire præce-
ptis. Data vt supra.

E P I S T O L A X L V I I I .

I O A N N I S P A P Æ VIII.
AD IOANNEM, ANSPERTVM ET VVAIPERTVM
A R C H I E P I S C O P O S.

Eiusdem argumenti.

Ioannes episcopus Ioanni Rauennati, Ansperto Mediolanensi, d^o
** VVaiperto Aquileiensi archiepiscopis.*

* f. Val-
perio

S ANCTI magnique Nicæni Concilii præcepta securi-
tate iubent, regularem epistolam per vnamquamque
prouinciam obtineri, ne hi qui abiiciuntur ab aliis reci-
piantur; fraternitati vestrae notum esse volumus Adelar-
dum Veronensem episcopum auctoritate sedis apostolicæ
priuilegii communione priuatum: quoniam cœnobium
Nonantulæ, quod semper apostolicæ sedis, & nostræ ipsius
auctoritatis priuilegio munitum nullius inuasionis usur-
patione detinebatur, sed solius hucusque abbatis e gremio
fratrum electi atque prælati moderamine regebatur, sub-
ripuit, suisque vſibus, coartatis extrema egestate mona-
chis, applicauit: & eatenus etiam post frequens interdi-
ctum nostrum opprimere, ſeculariumque manibus dispar-
titum prodere non formidat, contra sanctorum patrum re-
gulas, nec non & aduersus apostolicæ sedis & totius fan-
cta Synodi sententiam, quam missis per singulas prouin-
cias literis notam vobis omnibus fecimus, in communio-

Concil. Tom. 24.

I

nem post nostram quoque prohibitionem per missos nostros, & apices s̄epissime destinatam, passim recepit, & in cunctis prauitatibus eius conscius, & fautor apparuit. Excommunicauimus igitur prædictum Adelardum Vero-nensem episcopum, donec in præsentiam sedis apostolicæ veniens, de prædictorum excessuum qualitate, idoneam satisfactionem coram positus exhibuerit, quæ si contempserit existens interim, existet per omnia communione iure priuatus, pari vinculo irretiens omnes qui sibi communicauerint, vel contra interdictum nostrum ausu temerario fauerint. vnde vos cautos reddere volumus, si non vul-tis ipsi eidem secundum regulas sacras subiacere iudicio. Optamus fraternitatem, &c.

EPISTOLA XLIX.

IOANNIS PAPÆ VIII.

AD CLERVM VERONENSEM.

Eiusdem argumenti.

Ioannes episcopus uniuerso clero ecclesiae Veronensis.

EXPERIENTIAE vestræ notum esse volumus, Adelar-dum episcopum vestrum auctoritate sedis apostolicæ communione priuatum, quoniam coenobium Nonantulæ, quod semper apostolicæ sedis, & nostræ ipsius auctoritatis priuilegio munitum nullius inuasionis usurpatione detinebatur; sed solius hucusque abbatis e gremio fratrum ele-cti atque prælati moderamine regebatur, subripuit, suis-que usibus, coartatis extrema egestate monachis applicauit, & eatenus etiam post frequens interdictum nostrum opprimere, sacerdulariumque manibus dispertitum prodere non formidat, contra sanctorum patrum regulas, nec non & aduersus apostolicæ sedis, & totius sanctæ Synodi sententiam in communionem post nostram quoque prohibi-tionem per missos nostros & apices s̄epissime destinatam passim recepit, & in cunctis prauitatibus eius conscius & fautor apparuit. Excommunicatum igitur eum scitote, donec in præsentiam sedis apostolicæ veniens, de prædictorum excessuum qualitate idoneam satisfactionem coram positus exhibuerit. Quæ si contempserit existens interim, existet per omnia communione iure priuatus, pari vin-